PA
2140
.R5

THE HISPANIC FOUNDATION

Class _____

Book _____

GIFT OF
THE HISPANIC SOCIETY
OF AMERICA

173.

Friedrich Wilhelm Ritschl

DE

DECLINATIONE QVADAM LATINA RECONDITIORE

QVAESTIO EPIGRAPHICA

FRIDERICI RITSCHELII
PROFESSORIS BONNENSIS

BEROLINI
APVD I. GVTTENTAG
MDCCCLXI

PA3140
.R5

GIFT
HISPANIC SOCIETY
OF AMERICA
AUG. 4, 1941

7/22/71 PAB

Diu est ex quo inscriptionum Graecarum vel editores vel interpretes declinatio quaedam nominum advertit, quae in eo cernitur quod ex ιος et ιον syllabis ις et ιν fiunt. Tetigerunt illam vel uberius persecuti sunt Boeckhius C. I. G. cum aliis locis tum vol. I p. 367. 475. 507. 535. 915, Welckerus Syll. epigr. Gr. p. 18, Franckius in Richteri Inscr. p. 195, Osannus Sylloges suae p. 437, Franzius Elem. epigr. Gr. p. 284, Carolus Keilius Spec. onomatol. Gr. p. 79 sqq., Letronnius in 'Recueil des inscr. de l' Égypte' t. I p. 111 et II p. 100, Welckerus cum Rossio Musei Rhen. novi t. IV p. 186. Exempla ab his collecta, ut nunc in nominibus vere Graecis me contineam, haec habes quae subieci, additis quibusdam novis ex parte suppeditatis mihi ab amicis. Primum nominativorum vulgo in ιος desinentium: ΓΑΛΛΑΤΙϹ ΔΗΜΗΤΡΙϹ ΔΙΟΝΥϹΙϹ ΕΙΜΕΡΙϹ i. e. Ἱμέριος: quibus adde ΑΜΜΩΝΙϹ C. I. 4713 c, ΑΝΠΕΛΙϹ 5304. 6440, ΑΝΑΤΟΛΙϹ in Cardinalis Inscr. Velitern. p. 214, ΑΠΑΤΟΥΡΙϹ C. I. 4419, ΑΠΟΛΛΩΝΙϹ 2646, ΕΡΩΤΙϹ 2521, ΛΙΒΑΝΙϹ 8550. 8554. Nec re diversa sunt, quamquam specie paullo magis singularia, ΑΘΗΝΑΙϹ h. e. Ἀθήναιος, ΕΙΡΗΝΑΙϹ ΕϹΤΙΑΙϹ: quibus affine ΑΡΙϹΤΑΙϹ e nummis Cois commemoratum a Letronnio. Ad idem genus accusativi pertinent ΑΚΕϹΙΝ h. e. Ακέσιον, ΑΦΡΟΔΕΙϹΙΝ ΕΛΛΑΔΙΝ ϹΙΒΥΡΤΙΝ. Quid? quod ΑΠΟΛΛΩΝΙ et ϹΥΜΦΟΡΙ formas C. I. 3096 rectissime ut videtur Boeckhius vocativos interpretatus est vol. II p. 682. His neutri generis nomina succedant, sive ea

sunt mulierum ut ΕΛΕΥΘΕΡΙΝ ΚΑΛΛΙΣΤΙΝ ΦΙΛΗΜΑΤΙΝ, ΖΩΣΑΡΙΝ C. I. 2410, ΑΡΤΕΜΙΝ 2729 (quod exemplum etsi incertum est, tamen de Ἀρτέμιον nominativo dubitari non patitur n. 695): sive urbium ut ΕΙΚΟΝΙΝ ΚΙΤΙΝ apud Richterum: sive viri ut ΣΤΡΟΥΘΕΙΝ a Letronnio disceptatum h. e. Στρούθειον potius quam Στρούθιον, quocum conferre licet ΑΘΗΝΑΕΙΣ semel scriptum C. I. 623, item ΝΟΝΝΕΙΣ et ΓΑΕΙΣ quorum infra mentio fiet: seu denique appellativorum ut ΜΑΡΤΥΡΙΝ ΣΤΑΔΙΝ pro μαρτύριον στάδιον, item pro παιδίον ΠΕΔΙΝ apud Osannum p. 456, ΠΑΔΙΝ apud Boeckhium n. 2890.

Verum de re cum satis constaret, tamen diversissimas in partes itum est de aetate atque dignitate talium formarum. Senescenti eas Graecitati vel barbariae hellenisticae Byzantinaeve cum Boeckhio (vol. I p. 475) Welckerus Richterus Franzius tribuebant, eiusque iudicii non eam tantum caussam habuerunt quod illorum titulorum reapse nullus vetusti temporis est, multi infimae aetatis *), sed potiorem hanc, quod recentiores atque adeo hodiernos Graecos constat prorsus de consuetudine ιος et ιον syllabas, ac praeter cetera ριος ριον, in ις et ιν contrahere, ut Ἰανουάριος Ἰανουάρις, ποδάριον ποδάριν (unde rursus ποδάρι prodiit communi usu nunc receptum): quod genus exemplorum multitudine post Ducangium cum Coraes inlustravit adn. in Heraclid. Pont. p. 353, item Ἀτάκτων I p. 47 et 310, tum nuper Mullachius in Demetrii Zeni paraphr. Batrachom. p. 55 et in grammatica linguae Gr. vulg. p. 173 sq. Contra antiquioris linguae vestigium in illa declinatione relictum Rossius putabat eiusque sententiae suasorem eundem illum Coraem habuit: qui

---

*) Consulto supra multos eorum omisi quos Christianos esse certo constat, Corporis I. G. volumine IV collectos, ut p. 309 ΑΠΟΨΙΣ ΑΠΟΨΙΔΙΝ ΤΟΠΑΡΙΝ ΧΡΥΣΕΛΑΔΙΝ ΦΟΙΝΙΚΙΝ, item ΤΑΡΑΣΙΣ n. 9259, ΑΣΚΛΗΠΙΣ 9288, ΜΕΤΡΙΚΙΣ 9550, ΑΦΡΟΔΙΣΙΣ 9589, ΧΑΛΚΗΔΟΝΙΣ 9597, ΘΕΟΔΟΣΙΣ 9607, ΕΥΣΕΒΙΣ 9612, ΔΗΜΗΤΡΙΣ 9619. 9716, ΠΕΛΑΓΙΣ 9654, ΓΟΡΓΟΝΙΣ 9670.

cum l. s. s. tum adn. in Plutarchi Πολιτικά p. 153 et in vit. Thes. p. 364 non tantum e Plutarchia aetate breviatarum formarum illarum usum repetiit exemplis adscitis Σθένις Σθένιος, Βάκχις Βάκχιος nominum, sed eundem ad antiquissimam aetatem Homericam rettulit Χρόμις Χρόμιος formarum varietatem antestatus. Cuius vestigiis insistentes Letronnius atque Keilius affinia addiderunt Νύμφιος Νύμφις, Ἄμφιος Ἄμφις, Δήμιος Δᾶμις, Πολύμνιος Πόλυμνις. Verum huic ratiocinationi admirabili qua pollet doctrina Lobeckius — μέγας μεγαλωστί — adversatus Pathol. serm. Gr. prolegom. p. 500 sqq. etsi in eo esse nimius videtur, quod in lapidibus prodita exempla omnia, quae manifestam prae se ferre plebeii sermonis corruptelam pronuntiat, hili non facit, tamen illud facilius persuadebit, satis caussae non esse cur ipsius Δήμιος formae vicaria habeatur nec nisi illinc potissimum ducatur Δῆμις, cum ex una δημ stirpe et Δῆμις et Δήμιος et Δήμίας et Δημέας nomina fiant, pari et iure et dignitate omnium, item ut Ἄλεξις Ἀλεξίας Ἀλέξιος vel Πόλυμνις Πόλυμνος Πολύμνιος. Nam ad ea quoque nomina, quae in ιας exeunt, eandem de qua hic commentamur contractionem vocalium constat Boeckhium cum pedisequis transtulisse, titulorum exemplis usos ΑΡΙΣΤΙΣ ΙΠΠΙΣ ΦΙΝΤΙΣ ΝΙΚΙΝ, nummorum ΣΩΣΙΣ, scriptorum Τέλλις Τῖσις, aliis: quod genus quoniam ad Latinas litteras nihil pertinet, hic tetigisse satis habemus. Verum quantumvis acri Lobeckii disputatione illud tamen vehementer veremur ut effectum sit, ut eorum quoque, quae solo ιος ιον et ις ιν syllabarum discrimine continentur, tanta quantam supra congessimus multitudo ad eandem rationem probabiliter revocetur. Non habeo quod addam fortius quam fidem id superare: quis enim, postquam per multa saecula solas Ἀπολλώνιος Ἀσκληπιός Δημήτριος Φιλημάτιον formas lingua et noverat et probaverat, eandem iam languescentem credat ad horum nominum stirpem reversam tanquam novis viribus assumptis novas formas procreasse?

Aliam viam non iniit potius quam uno verbo significavit Letronnius I p. 111 e Romanae vi consuetudinis ('par suite de l'influence romaine')

hanc declinationem omnem repetens. Quod ut quale esset plenius perspiceretur, primum Latinorum in titulis Graecis nominum indiculum subiecimus. Itaque ΑΠΩΝΙC habes C. I. G. n. 4742, ΑΥΡΗΛΙC 5700. 6666, ΑΦΡΟΔΙΤΑΡΙC (quando Latina terminatio est) a Welckero allatum, ΓΑΕΙC 3976, ΔΟΜΙΤΙC 5402, ΙΑΝΟΥΑΡΙΝ 3857 *q* (p. 1089), ΙΓΝΑΤΙC 5396. 9694, ΙΟΥΛΙC 7119. 8947 *v*, ΚΑΛΠΟΡΝΙC 4366 *w*, ΚΑΡΟΥΕΝΤΙC 6244, ΚΛΑΥΔΙC 3109. 5198, ΚΛΩΔΙC 5465, ΚΟCCΑΝΤΙC (h. e. ΚΟCΤΑΝΤΙC) 9462, ΛΑΒΕΡΙC ΛΑΥΡΕΝΤΙC 9883, ΛΙΤΟΡΙC 3309, ΛΟΥΚΙC 6580. 9674, ΜΑΡΙC 9837, ΝΟΝΝΕΙC 2322 *b*[84] (p. 1049), ΟΚΤΑΒΙC 5197, ΠΑΤΡΙΚΙC 9260, ΠΕCΚΕΝΝΙC 5719, ΤΙΒΕΡΙC 3109. Quo appellativum accedit ΡΗΤΙΑΡΙC h. e. *retiarius*: hoc casu in C. I. G. 2663 ΣΤΕΦΑΝΟC ΡΗΤΙΑΡΙC, accusativo ΡΗΤΙΑΡΙΝ μΕΛΑΝΙΠΠΟΝ apud Welckerum p. 58 sqq.

Igitur circumspicientibus nobis num quid simile ipsi Latini tituli offerant, fatendum est sane paullo rariorem quam exspectes in recentioribus potissimum epigraphis talium formarum usum esse. Possunt me fugere quaedam: nunc quae in promptu habeo studiosissimorum quorundam adulescentium navitate adiutus, non nimis multa haec sunt: SALLVSTIS in Mommseni Inscr. Neap. 6 (Orell. Henz. 6250); — LVCILIS ibid. 287, quod aegre concesserim muliebre esse; — SAMILARIS, vel ut opinor SAMIARIS potius, ib. 2559 v. 38, ubi sequitur SAMIARIVS, praecedit SAMIANTVS h. e. item SAMIARIVS iudice Reinesio; — NASSIS apud Gruterum p. 813, 5; — HELIS ib. 486, 4 auctore Scaligero; — SEVIS 970, 7, nisi id fuit potius SEIVS; — dein iam ab Huebnero commemorata Quaest. onomatol. p. 26 BRVTIS in Vermiliolii Inscr. Perus. p. 28 (30 ed. alt.) n. 27, FVLVIS in Gorii Inscr. Etr. I p. 57 n. 135. VENTINARIS in Furlanetti Lapid. Patav. p. 49 n. 55; — porro EVGENIS in Lugdunensi saeculi p. Ch. sexti apud Boissieuium Inscr. Lugd. p. 582 n. 39; — LVCILJES h. e. *Lucillius* ib. p. 443 n. 16: quando $\overline{es}$ ab $\overline{is}$ terminatione unius et rusticitatis et antiquitatis ratione differt; — ACCIS (ut videtur) in Deviti 'Lapidi del Polesine' p. 121 n. 142; — IANVARIS in Froeh-

neri Inscr. terr. coct. vas. n. 1164. 1165: ubi perdubium n. 1897 SCOTTIS cum SCOTI atque adeo SCOTTIM iunctum; nec plus fidei ei nomini tribues quod Lerschii 'Centralmuseum' fasc. I p. 16 tale praebet TACITNIS h. e. ut videtur *Tacitinius* potius quam *Tacitinis*. Accedunt in muris parietibusque Pompeianis incisa quaedam: quae etsi perdubiae saepe lectionis sunt, tamen ceteris certiora videntur haec esse: HAGIVS AMPELIS in Garruccii 'Graffiti de Pompéi' p. 89 (ed. alt.) tab. 26, 62; — GALLVIS p. 97, 9 tab. 30 h. e. nisi fallimur *Galluvius* (GALVIA I. R. N. 985); — PRIMIGVNIS p. 94 tab. 28, 22; — C · ARRVNtIS p. 80 tab. 17, 11 interprete Gustavo Meynckio Megalopolitano, qui praeterea adicit APELEIS p. 9, quod esse *Apellius* (ut I. R. N. 5716) conicit, conlato APILES Grut. 836, 11. Haec autem cum ita sint, eo magis mirum videri debet, quod bilingues tituli quidam Graecis formis brevioribus plenas Latinas sociant, ut AYPHAIC et AVRELIVS C. I. G. 6666, AITOPIC et LITORIVS 3309.

Verum haec tamen exemplorum mediocris frequentia mirifice compensatur aliorum vetustate certissima. Ac primum unum genus est monumentorum, unde non pauciora quam octo petimus: quae sunt in epigraphis ollarum cinerariarum partim a Lupio diss. de Severae martyris epitaphio p. 86 sqq. Garruccioque in 'Bullettino' Neapolitano anni 1853, partim a Baldinio Dissert. academiae Cortonensis t. II p. 151 sqq. editarum. Quae cum saeculum urbis septimum vergens vix dubiis indiciis testentur, operae pretium fuerit singula perscribere infra.

Lup. 5. Garr. 41 — M SIICTILIS
A · D · VII · F · N

Lup. 19. Garr. 45 — T · TVSANIS
A · D · III · E · O

Lup. 22. Garr. 6 — Q < AE < I LIS
A · D · VII · IDVS NO

Lup. 43. Garr. 46	C VALERI·C·F·BARNAES A·D·X·K·DEC
Bald. 47	L· RAGONIS
Bald. 55	P·CLODIS·C·L·PAMPINI
Bald. 68	C·REMIS A·D·V·EQ
Bald. 104	L·ANAVIS L·F EIDIBVS SEX

Nam BARNAES nomen L. 43 non dubito ad similitudinem Graecorum illorum interpretari quae sunt AΘHNAIC EIPHNAIC ECTIAIC.

Haec igitur epitaphia cum planissimo documento sint satis antiqua aetate vel linguam Latinam vel sermonem rusticum, qui ipsius vetustatis esse custos certissimus solet, nominum formas in ius et is exeuntes iuxta frequentasse, tum alia sunt quae id longe etiam fortius persuadeant. Primum quidem linguae Oscae congruentia summa, ut qua non tantum Niumeriis Paapiis Metiis dicerentur qui Romanis sunt Numerius Papius Metius, sed etiam Niumsis Heirennis Pakis Stenis qui Latine Numisius Herennius Pacius (Paccius Paquius) Stenius (Stennius) vel ut iam rectius dicam Numisis Herennis Pacis Stenis. Osca illa composuit Mommsenus Dialectorum Ital. inf. p. 229: eis autem Vmbrica quoque prorsus paria exstant ut Trutitis Koisis ab Aufrechtio Kirchhoffioque tractata Mon. Vmbr. p. 392 sqq. Sed ne Latinae quidem copiae curiosius quaerentem destituunt: quae unum certe vocabulum servarunt pristinae declinationis satis diu tenax, quod est alius alis, aliud alid.

De eo veterum testimonia haec sunt. Priscianus XIII p. 959 P. 8, 1 H.: 'duo tantum in *d* finiunt ea, quis quid, alius aliud. alis quoque antiquissimi pro alius protulerunt'. Idem XV p. 1014 P.

77, 12 H.: 'aliter quoque ab eo quod est hic alis, huius alis, huic ali pro alius alius alii, secundum supra dictam analogiam profertur': h. e. ut *fortiter* a *fortis* et similia, cum ab *alius* fieret potius *aliiter aliter*. Deinde Charisius II p. 133 P. 159, 30 K. cum Diomede I p. 323 P. 333, 30 K., quibuscum convenit excerptis Vindobonensibus p. 118, apud Keilium p. 561, 14: 'cuius [genetivi alius] nominativum veteres non tantum alius dixerunt, sed etiam alis, sicut et Sallustius: *alis alibi stantes ceciderunt, omnes tamen aduorsis uolneribus conciderunt*': nisi quod *Sallustius ait* Diom., *aduersis* Diom. et Exc., *uulneribus* sine *conciderunt* Exc. Et haec quidem Sallustii verba, id ut statim expediamus, cum diu in Historiarum fragmentis habita essent, rectissime nuper demum intellectum est non aliunde nisi e Catilinae capite extremo petita esse. Vbi cum libri ms. nihil nisi haec servent: *pauci autem, quos medios cohors praetoria disiecerat, paulo diuorsius, set omnes tamen aduorsis uolneribus conciderant,* Charisiana additamenta illa Dietschius non ille quidem omnia admisit, sed partem saltem sic: *paulo diuorsius alis alibi stantes, set omnes tamen* e. q. s.: de quo explicatius dixit Commentationum p. 20 sq. Verum ut dicam quod sentio, vim sententiae qui subtilius examinaverit et qualis tandem oppositio requiratur satis perpenderit, eum vix dubitaturum puto quin non uno *conciderunt* verbo, sed utroque *stantes conciderunt* Charisii testimonium interpolatum sit, haec ut manus scriptoris fuerit perfectae concinnitatis artifex: *nam fere quem quisque uiuos pugnando locum ceperat, eum amissa anima corpore tegebat: pauci autem, quos medios cohors praetoria disiecerat, paullo diuorsius alis alibi, sed omnes tamen aduorsis uolneribus conciderant.* Nam plane alia ratio est eorum quae paullo ante Sallustius scripserat cap. 60: *cohortem praetoriam in medios hostis inducit eosque perturbatos atque alios alibi resistentis interficit,* e quo ipso loco haud scio an interpolatio illa manaverit.

Nec tamen antiquitatis studio Sallustiano huius se formae usus continuit, sed per saeculum septimum totum pertinuit. Cuius rei primum

insigniori documento titulus ille Furfensis est I. R. N. 6011 (Orell. 2488) non minus celeber quam turbatus depravatusque, qui etsi annum u. c. 696 prae se fert, tamen meo sensu dubitari nequit quin longe antiquius exemplum aliquod, factum circa medium saeculum illud, imitetur: ubi quod v. 10 scriptum exstat ALIS · NE · POTESTO, quamquam Mommsenus p. 320 '*aliter*' interpretatus est, tamen id qua defendi ratione possit prorsus me ignorare fateor. De scriptoribus autem si quaesierimus, mirum est nullum eius formae in scaenica poesi tota vestigium esse: nam quibusdam Plauti versibus etsi illa non sane repugnat, tamen nec ullo in loco necessitatem habet et longe plurimis certissime adversatur. Vnde praeter rationem Bentleium intellegitur *alid* immisisse in Terentianum versum Heauton timorumenu II, 3, 90, sic: *Quíd alid tibi uis? Síquidem hoc fiet*: ubi rectissimo iudicio Fleckeisenus librorum memoriam tutatus est *Quíd aliud tibi uís? Siquidem hoc fit.* Verum citra controversiam primus *) Lucilius, correctus quidem a Dousa. sic est locutus teste Charisio I p. 86 P. 111, 18 K.:

nam uelut 'intro' aliud longe esse atque 'intus' uidemus,
sic et 'apud se' longe alid est neque idem ualet 'ad se'.

Post hunc Catullus et alid semel 29, 15:

quid est alid sinistra liberalitas,

et semel alis 66, 28:

---

*) h. e. quod sciamus primus. Nam quod ne Naevianae quidem Ennianaeque poesis reliquiae ullum eiusmodi vestigium servant, vix ausim non casui tribuere. Naevio enim cum talem versum *Simul alis alid aliunde rumitant inter se* Bothius tribuit in Comicorum fragmentis p. 25, suo id periculo fecit damnoque numerorum, quos pridem perspectum est hos esse *Simúl aliús aliúnde - rúmitánt intér se* secundum Festi epitomam p. 270, 3. — Altera ex parte demiranda Alschefskii liberalitas, qui uno confisus unius Medicei testimonio *alid* formae usum ad T. Livii et aetatem et consuetudinem pertinuisse cum sibi persuasit adn. ad II, 43, 10 tum aliis persuadere tali argumentatione instituit: '*si alid nihil*] cum hoc loco *aliud* corripiendum, *nihil* producendum sit, rectissime se habet *alid*': doctrinae genere tam mehercule novo quam singulari.

coniugium, quo non fortius ausit alis:

sive *quod non fortior ausit alis* tenebis cum libris. Postremo Lucretius alid frequentavit in certis potissimum, quibus ea forma conveniebat, locutionibus: *quando alid ex alio* I, 263, *namque alid ex alio* IV, 1115. 1456, *sic alid ex alio* III, 970. V, 1305; praeterea *quodcumque alid auget* V, 257. Insigniore autem idem memoria etiam dativo ali locum concessit VI, 1227:

nam quod ali dederat vitalis aeris auras:

item Lachmanno correctore IV, 637:

ut quod ali cibus est, aliis fuat acre uenenum,

ubi libri *aliis* prodiderunt, Lachmannus autem p. 249 percommodo eiusdem dativi exemplo utitur e lege Iulia municipali petito, aeris Neapolitani v. 24: QVIQVOMQVE · INMVNICIPIO · COLONIAE · PRAEFECTVRA · POST · K · QVICT · PRIM · COMITIA · II · VIR · IIR · VIR · ALEIVE · QVOI · MAG · ROGANDO · SVB · ROGANDOVE · HABEBIT.

Quodsi de hoc casu recte praecepisse Priscianum apparet, de genetivo quoque alis eiusdem stabit doctrina, quamquam exemplum superesse non videtur. Eo igitur confidentius Mommseni coniecturam amplectimur in hanc partem aliquid ratiocinantis ex epitaphiorum illorum Baldinianorum memoria, de dial. p. 230. Non quo concedamus etiam RAGONIS REMIS ANAVIS genetivos esse, id quod non maiorem vel necessitatem vel probabilitatem in his habet quam in Lupianis quae supra addebamus SECTILIS (SESTILIS?) TVSANIS CAECILIS: verum quod restat exemplum P · CLODIS · C · L · PAMPINI, quo tandem alio casu vel esse vel posse esse dices? Nam et hi tituli et alii consimiles, Praenestini potissimum illi quos una cum Caeretanis quibusdam Henzenus edidit in Annal. et monum. instituti archaeologici Romani a. 1855 p. 74 sqq. inque 'Bullettino' a. 1858 p. 93 sqq., etsi plerumque sane nominativo casu mortuorum nomina efferunt, tamen nec dativum nec genetivum prorsus excluserunt. Ac genetivum ipse Henzenus p. 81 videtur illud *Barnaes* nomen

tituli Lupiani interpretari qui est talis C · VALERI · C · F · BARNAES, a *Barna* vel *Barnas* nisi fallor nominativo profectus deque PESCENIAES AQVILLIAES genetivis cogitans: verum de hoc dubitationem omnem me iudice lapis Deliacus tollit C. I. G. 2319 ipsam ΒΑΡΝΑΙΟΣ formam praestans. Ambigua esse muliebria apparet PAVLLAE · SALVIAE Lup. 25, MVNIAE Bald. 59, GEMELAI Praen. 28, *n*VMTORIAI 37, VEHILIAI 70, quibus accedunt fortasse SEHIAI 59, COMENIAI Bull. 4: quando de dativo certa res est in Lup. 14. Garr. 9, sive perobscure ibi scriptas litteras M · COLIO · M · L (ut I. R. N. 5221) sive CALIIO h. e. *Caleo Caleio* (ut I. R. N. 1575) interpretabere; item in Garr. 17, ubi esse GEMIO potius quam GENVO videtur*); fortasse etiam in Lup. 34, quamquam ei quod ibi apud Lupium legitur ALFENO nomini non satis fidei tabula Garrucciana n. 2 addit. Nam in hoc quidem genere sua sponte intellegitur e longe antiquioribus, immo antiquissimis Praenestinis nihil argumenti peti posse: in quibus quae sunt APTRONIO BOVFILIO CAMELIO CORIARIO CVPIO FABRECIO HERENIO LORELANO MVTILIO OPIO

---

*) Litterarum species in eo vasculo inscriptarum cum proxime accedat ad hoc exemplum GEMVO, non incommode fortasse quispiam de cognominis nominativo *Gemo* (tertiae quidem declinationis) cogitet, cuius scriptura pristinam formam M litterae servarit. Nam sine nominibus posita cognomina habes etiam Lup. 18. Garr. 13 DEMETRIVS, Lup. 28. Garr. 39 PROTARCVS, Bald. 39 GVBVS: a quibus LORELANO · M · L Praen. 33 et Q · VSORO Bull. 9 addito vel suo vel manumissoris praenomine distant. Vt improbandus sit si quis Lup. 14. Garr. 9 interpretari M · CALDO · M · L animum induxerit: etsi eam lectionem non respuit scriptura. — De Lupiano titulo 34 supra commemorato quid decernam haereo. Cuius in Garruccii tabula chalcographa ea figura est quae ab hac lectione proxime absit:

A L F E N O S · L V C I
A · D · XII · C · NOEM

nisi quod ipsa extrema littera ALFENOS nominis perambigua est nec S litteraе valde similis. Et si vel maxime certa sit, qui potest in hanc aetatem *os* terminationis usus cadere?

OV III O ORCEVIO ROSCIO ΓLΛVTIO SΛVFIO *ta*ΜΡIO VSORO (quo adde omissum apud Henzenum L · OΓΓIO), non sunt dativi sed nominativi item ut ΛVILIOS CASIOS ORGVIOS, id quod omnium evidentissime n. 63 *lu*CIO · TAPIOS docet. — Igitur ad genetivum ut revertar, unum saltem certum exemplum praesto est Bald. 10 NOVI · GRAECI. Quod cum excludat controversiam, ne de P · CLODIS quidem genetivo dubitabimus. Huic autem iam alterum accedat e recentioris memoriae titulo Nemausensi qui est talis apud Gruterum p. 486, 4:

D · M
C · VETTII · HELIS
IIIIII · VIR · AVG · ET
VETTIAE · SERVANDAE
VXORI
VIVI · SIBI · POSVERVNT

Habetque hoc eo minus dubitationis, quod eadem C · VETTIVS · HELIVS nomina redeunt in Romano lapide p. 714, 3. Nam quod in priore VECTII · HELPIS idem Gruterus p. 483, 5 edidit Poldum secutus, cum per se nihili sit, tum facile cedet Scaligeri auctoritati, a quo emendatius exemplum illud alterum acceperat.

Iam vero priusquam progrediar disputando, video illuc mihi redeundum quod unum (praeter CLODIS) in promptu esse genetivi certum exemplum dicebam mortuorum nominibus adhibiti in Lupianis Baldinianisque atque item in Praenestinis epitaphiis: NOVI · GRAECI illud. Praevideo enim non defuturos qui nubem potuisse exemplorum huc adscisci dictitent: praeter cetera C · PΛCCI · L · SΛLVI Lup. 45. Garr. 34: sed praeterea alia plurima, non tantum talia qualia habes Μ · VERGVLEI L. 32. G. 48, A · AETEI L. 41. G. 3, verum et usitatiora et simpliciora prope innumerabilia ut C · BALONI, P · IVNI, Q · TITINI, Μ · SEΜPRONI, TI · ΜANLI, Λ · ΜINVCI, T · SVLPICI, T · TVTILI, Μ · TERENTI, CN · OBINI, T · ΜVNATI, D · FOLVI, P · NAEVI, Μ · CALTI, L · CVΓI

et quae sunt cetera. Non commemorarem haec profecto, si eis potissimum scriberem qui in epigraphicis litteris habitant; verum in his saltem terris cisalpinis cum ad philologos *οἷοι νῦν εἰσι* satis tenuis illius scientiae notitia pertinere soleat — loquor autem de Latinis litteris, non de Graecis —, operam perdidisse non videbor si paucis aperuero quod *τῶν ἐμπείρων* neminem fugit: illas formas omnes non ad genetivum spectare, sed scripturae compendio uti quo ipse gentiliciorum nominativus in ius desinens notatur. Cuius rei qui volet argumenta ceteris luculentiora cognoscere, talia expendat qualia sunt in Scipionum elogiis L·CORNELI · L · F · P · N · SCIPIO, in epitaphiis Praenestinis 44. 45 L·OPPI· L · F · FLACVS · PATR · et L · OPPI · L · F · FLACVS · FILIVS, in SC. de Bacchanalibus SC*cribundo* ARF*uerunt* M · CLAVDI · M · F · L · VALERI· P · F · Q · MINVCI · C · F, in titulo Mummiano L· MVMMI · L·F·COS· DVCT*u* · AVSPICIO · IMPERIOQVE · EIVS · ACHAIA · CAPT*a*, in Romano Or. Henz. 5351 C · FANNI · M · F · COS · DE · SENA · SEN · DEDIT, in pagi scito Herculanei G · BLOSSI · M · L· PROTEMVS, in Caeretanis L· FALTINI · M · F · NIGER: in his ut nunc subsistam.

Nec tamen propterea tantum, ut non esse genetivos docerem, hos nominativos composui, sed ex eisdem ut argumentarer ultra. Quid enim vel caussae vel rationis illud ipsum habuisse dices, quod in ius terminata nomina non aut plene perscripta sunt aut, si modo brevianda viderentur, sic potius notata ut communis usus ceterorum vocabulorum omnium vel postulabat vel suadebat h. e. CORNEL· SVLPIC· CLAVD·? qualem tamen scripturam in antiquioribus quidem titulis (non item in nummis) constat inauditam esse. Quodsi tale discrimen ideo placuisse ratiocinere ut a cognominibus in us exeuntibus gentilia distinguerentur, hoc tamen quam non sufficiat facile est ad demonstrandum. Ita enim cur eadem ista breviandi ratio non ad muliebria quoque nomina umquam translata est? Vitandam fuisse ambiguitatem respondebis, ne pro masculinis haberentur. At ubi bina sociabantur, quid tandem ambiguitatis restabat? Et tamen

non est umquam sic scriptum MARI · SELICIA vel MARIA · SELICI, sed MARIA · SELICIA Praen. 61, nec CESVLA · ATILI vel POLA · LIVI, sed CISVLA · ATILIA et POLA · LIVIA in Pisaurensibus apud Maffeium Mus. Veron. p. 470 sq., ad idemque exemplum GRAECA · VATRONIA Praen. 68, Π · VEBIDIA · Q · F · NVMA 69, CAESIA · > . L · SVRISCA Caer. p. 77, PORTVNALIA · MARTA · PIOTICA Lup. 8. Garr. 15, DERCINA· IVANALARIA L. 26. G. 12: quamquam minime reformidarunt OPI · SAVFIO Praen. 58, ac ne CAVI · TERTINEI · POSTICNV quidem in Praenestino titulo Musei Rhenani t. XIV p. 382 nuper a me publicato. Nam CVRTIA · ROSCI Praen. 21 dubitare noli quin sit *Rosci* uxor, ut *p*AVLLA· CORNELIA · CN · F · HISPALLI in sarcophago Scipionis Barbati, vel CAECILIAE · · · · METELLAE · CRASSI. — Haec igitur omnia et fortasse alia affinia perpendisse Mommsenum consentaneum est, qui tribus nuper verbis, quid huius rei esset, significavit in eo libro quem de historia rei nummariae Romanorum plane admirabilem fecit p. 471, observatione longe fructuosissima. Quippe apertissimum esse putamus scripturam illam omnem, qua *i* littera nomina gentilicia finiuntur, ex ea aetate linguae repetendam esse qua non alius sed alis, non Clodius sed Clodis diceretur ad idemque exemplum Cornelis Sulpicis Caecilis Opis Mumis Fanis et similia omnia, eae autem formae non plene scriberentur, sed abiecta de pristina consuetudine littera finali CLODI CORNELI SVLPICI: plane ut pleniores quae successere formae scriptae sunt OPIO PLAVTIO FABRECIO in Praenestinis aliaeque in aliis. Mansit autem ea qua adsueverant scriptura, postquam ios ius substitutum est. prorsus eadem ratione qua C vel COS vel SVC notas tenuit vis consuetudinis etiam post *Gaius consol Subura* formas communi usu receptas. Quae si ita sunt, ut sunt profecto, ingens multitudo exemplorum succrescit, quibus longissime aliquando patuisse eam declinationem intellegatur, cuius unum vestigium postera aetas alis pronomen novit. Servabat eam ut alia vetusta plurima sermo vulgaris: unde ad Graecos transiit ibi-

que etiam constantius perstitit quam inter ipsos Romanos posteriorum saeculorum.

Vnum superest quod non possis non valde expetere: ipsius antiquioris aetatis exemplum plene litteris omnibus ita perscriptum ut saeculi septimi exeuntis Lupiana atque Baldiniana illa. Sed vel huic desiderio haud scio an satis factum sit, postquam nuper demum hic titulus innotuit in cippo terminali scriptus, repertus prope oppidum (sive pagus est) cui Nazzano nomen, haud ita procul Roma situm ad Tiberim, e Secchii schedis a Raphaele Garruccio publicatus in 'Bullettino' Romano anni 1860 p. 97:

P · MENATES · P · F
TR · PL
X X X

Hoc enim nomen quod esse aliud credes nisi Minatius Minatis? dominante etiamtum $\overline{e}$ littera pro $\overline{i}$ ut in SEMOL MERETO AIDILES. Nam quantumvis varia fuerit variis in terris gentibusve Italicis formatio gentiliciorum, quod genus post Huebnerum paucis nuper Henzenus comprehendit Orelliani voluminis III p. 242 sq., tamen in *ates* terminatum nomen (ut in $\overline{\text{enus}}$ $\overline{\text{erna}}$ $\overline{\text{ena}}$ $\overline{\text{enna}}$ $\overline{\text{ina}}$ $\overline{\text{inna}}$ $\overline{\text{enas}}$ $\overline{\text{inas}}$ exeuntia plurima) nusquam umquam repertum est. Vnde esse consequens intellegimus antiquitus ad hoc exemplum declinatum esse:

nom.	Corneles	Cornelis
gen.	Corneles (ut SALVTES)	Cornelis
dat.	Cornele (ut IVNONE)	Corneli
acc.	Cornelem	Cornelim

prorsus ut alis alis ali et ut puto alim. Quibus qui volet ablativos addat Corneled Cornelid. Veterrimae autem pronuntiationis aliquid haesit in plebeii sermonis formis recentioribus illis quas supra posui p. 6 LVCILLES et, si modo satis ei fidei, APILES: a quibus aliquo intervallo BARNAES distat.

Quodsi per satis multorum annorum diuturnitatem et $\overline{s}$ et $\overline{m}$ littera

finalis omitti solita est communi consuetudine, rursus haec subnata declinatio est casuum discrimine omni sublato

nom.	Cornelis	Corneli
gen.	Cornelis	Corneli
dat.	Corneli	Corneli
acc.	Cornelim	Corneli

proxime ad eorum similitudinem quae nuper proponebam Musei philol. Rhen. t. XIV p. 401 sq.:

nom.	matrona	senatu	die
gen.	matrona	senatu	die
dat.	matrona	senatu	die
acc.	matrona	senatu	die

Ex illis igitur casuum formis plane parilibus cum unum, nominativum, sola scriptura posterioris aetatis servarit, alter quidam non in scriptura tantum, sed in ipsa lingua mansit: qui est genetivus Corneli. Hinc enim illud repetendum, de quo magni Bentleii virtute nunc inter omnes constat, quod substantivorum in ius et ium desinentium genetivum antiquior lingua numquam finivit geminata *ii*, sed una simplici *i* vocali. Nec enim dubitabimus quin ad masculinorum exemplum prisca latinitas etiam neutra sic formaverit: consilim consili(s) consili consilim: nisi quod in pronomine *m* litterae vices *d* littera, ut in id quid quod illud istud, ita in alid sustinuit. Eademque plane qua alis alid ratione is id, quis quid reguntur, item ut accusativi alim, em im, quem: persimili etiam ille (pro illes ut Cornele pro Corneles) atque illud: quod genus omne hic explicare longum est. — Genetivi igitur speciem illam, Corneli, quid mirum si cum nominibus propriis etiam appellativum vocabulum alis communem habuit? A qua forma quemadmodum vetus lingua cum in declinatione casuum tum in fingendis aliter alibi aliquis aliquot aliquantus aliquando compositis

profecta est, ita indidem duxit alimodi (hoc est ali modi) teste Festi epitoma p. 28, 2 positum pro alius modi (vel quod eodem redit pro alii modi.)

AVCTARIVM.

De Sallustio, quem p. 9 tractavi, res ipsa monet ut etiam pergam ratiocinando. Is enim cum illud genus loquendi frequentet quod in componendis conectendisque alius pronominis formis cernitur, qua tandem plane singulari libidine uno solo in loco alis admisisse credetur, in ceteris omnibus omni ex parte similibus eidem formae aditum constantissime praeclusisse? in his dico quae sunt *alius alium* Cat. 6, 5. 43, 2. 52, 28. Iug. 53, 8. 66, 3, *alius alii* Cat. 52, 1, *alius alii facinoris* Cat. 22, 2, *alius alio more* Cat. 6, 2, *alius in alio* Iug. 60, 1, *alius ab alia parte* Iug. 101, 2, *alius alio* Iug. 12, 2. 50, 5. In his igitur quotiens alis posuerit nescio: nusquam posuisse nego simile veri esse. Eius autem rei probabilitas novo esse documento poterit, quali fide hos libros Sallustianos ad nostram memoriam codices ms. prodiderint, ut qui nullum, si Dietschianis testimoniis credimus, brevioris formae vestigium servent, tenuissima quaedam, si alios auctores consulimus. Quippe Iug. 50, 5 diligentissimus homo Theophilus Cortius testatur in Guelferbytano 9 (qui Dietschio est *g* vel n. 21 p. 10) et Lipsiensi academico (qui non esse alius videtur nisi quem in senatoriae bybliothecae libris ms. Naumanni Catalogus p. 22 numerat LXIX, Dietschio σ vel n. 13 p. 9) scriptum esse *aliis alio*, idemque a prima manu eundem academicum et Heussianum Memmingensem in Iug. 12, 2 habuisse. In quo nihil nisi alis alio latere ipse iam Cortius suspicabatur, tam id profecto probabiliter quam in tali caussa quidpiam credi cum probabilitate potest.

P. 10 sq. compositis exemplis alid formae potui quaedam addere non scriptoris, sed librariorum: quos mirum est in Lucretii duos versus illam immisisse a quibus eam ipsi numeri segregant, *aliud terris alid regionibus* I, 469, *alias alid res* IV, 1039 teste Lachmanno p. 41: quae credibile est in scribentium mentibus haesisse e trium versuum libri I

uniusque libri III recordatione: (peccavit enim typotheta p. 11 v. 4, ubi sic debebat: *quando alid ex alio* I, 263, *namque alid ex alio* I, 1115. V, 1456, *sic alid ex alio* I, 407. III, 970. V, 1305.) — Item solis librariis dubitare noli ali dativum tribuere quem video e Frontone Maii p. 275 (ed. Rom. a. 1823) vel p. 186 Nieb. afferri *suum quisque amicum ali amico*, itemque e Festi epitoma p. 27, 19 *'aliae rei' dixit Plautus pro eo quod est 'ali rei'*: sic enim haec transposita sunt rectissime, praesertim cum e brevioribus huius pronominis formis ne usitatiores quidem alis alid Plautinae fabulae admiserint. Talem igitur scripturam ut ab ipso Frontone vel Festo profectam non rectius tueare quam in Ciceronis de re publica I, 8, 13 bis proditum nominativum pluralem ali, vel ad similitudinem *manubis comitis Iunis* formarum ibidem scriptarum (conlectarum in Osanni excursu VII p. 451) factum dativum alis. Quorum casuum in unam *ī* contractorum etsi quaedam exempla (in his ipsum ali e decreto Pisano: SIVE · QVI · ALI · MAGISTRATVS · ERVNT) Lachmannus in Lucr. p. 252 et 279 indubitata protulit *), tamen cum nominativum ipse vitiosum dicit, tum dativum profecto Ciceroni non concessit, id quod vel eo satis ostendit quod ne in Lucretiano quidem versu IV, 637 bisyllabam aliis h. e. alis formam toleravit. Ac de hoc litem nunc non movebo, quamquam posse moveri sentio: verum illud non dubito confidenter pronuntiare, si modo ea declinatio, quae fuit alis alis ali alim, per plurales casus olim pertinuerit, non potuisse omnino alias nisi has formas fieri:

---

*) Ambiguum esse video utrum nominativum an dativum interpretemur quod in longe antiquiore titulo scriptum est ALEI: in Venafrano illo ab Mommseno publicato I. R. N. 4616, cuius haec species:

ALEI · IN · VENERIEIS
MIHEI · CONTRA · RI

Qui quamvis mutilus sit, tamen et senariorum non dubia principia et manifestam *alius* et *mihi* pronominum oppositionem ostendit:

Alei ín Venerieis . . . . . .
Mihei cóntra ri . . . . . .

ubi correptum *mihei* satis veniae ab illa ratione habet quam cum alibi saepius tum nuper Musei Rhen. t. XIV p. 411 explicavi.

nom. alis et ali (ut ques qui cum sim.)
gen. alium
dat. alibus et alis (ut quibus quis)
acc. alis

Aliquo autem cum tali declinatione vinculo haud scio an ipsa scaenica prosodia contineatur. A qua alienissimam esse synizesim constat talibus qualia sunt filius filio filium filii filiis filios adhibitam, quam diu quidem in senariis septenariisque sive trochaicis sive iambicis poeta versatur: contra simul atque ad liberiora metra transitus fit, ad anapaestica potissimum, sed etiam ad octonarios quoslibet, nihil prorsus offensionis eandem illam licentiam habere: de quo explicatius dixi Proleg. Trinummi p. CLX sqq. Museique phil. Rhen. t. VII p. 595 sqq. Hoc igitur ipsum vide num cum aliqua specie probabilitatis coniciamus non aliam vim caussamque habere, nisi quod in liberioribus metris suscepta vulgaris sermonis libertate pronuntiaretur filis fili filim fili filis tilis. Quam pronuntiationem num etiam scriptione vel aetas Plautina vel poetae consuetudo expresserit, id quod fecit sane communis usus in genetivo fili, facilius quaeri quam responderi putamus. — Ceterum ad neutrum ut redeam, Bentleianae in Terentio coniecturae alterum exemplum neglexi prorsus gemellum quod est in Hecyrae versu V, 1, 24:

'Alid si scirem, quí firmare méam apud uos possém fidem —.

Ita quidem Bentleius pro eo quod est in libris *Aliud si scirem*. Transposuit Fleckeisenus *Si aliud scirem*: dubitari potest num alio potius vocabulo transposito poeta dederit *'Aliud si scirém, firmare qui ápud uos meam possém fidem.* Exquisitius esse *meam apud uos fidem* non me fugit: sed exquisitius etiam *aliud si scirem* est quam *si aliud scirem.*

Praeterea tribus verbis aperiam cur ab hac societate illa seiunxerim, quae non mirer si ad eandem similitudinem proxime accedere dixeris: articularis articularius, auxiliaris auxiliarius, iocularis iocularius, lapidaris lapidarius, molaris molarius, palmaris palmarius, singularis singularius, talaris talarius, tutelaris tutelarius, uulgaris uulgarius, et si quae forte sunt similia. Verum haec contraria potius ratione hac reguntur quod, cum longiores formas aetas antiquior probasset, subsecutae demum sunt breviores. Velut Plautum Terentium Turpilium Catonem Novium Afranium

horumque pedisequum Gellium, posteriores autem scriptores nullos auctores habent articularius, molarius, palmarius, singularius, uulgarius: paucorum utramque formam ipsa iam antiquitas adsciverat ut iocularius iocularis et, Varronem si in antiquis habueris, singularis: auxiliarius iuxta atque auxiliaris haesit apud posteriores, sed Plautus tamen unum illud novit: nullum exstat eiusmodi exemplum, quo olim probatam breviorem formam cessisse productiori demonstretur. *) Ergo sic potius statuendum, ab una eademque stirpe progressam linguam arbitratu suo denominativa progenuisse sive in arius sive in aris desinentia, notionis quidem discrimine nullo aut prope nullo. Nisi quod tamen alia quaedam argumentatio accedit, in quam infra incidet oratio.

Atque haec quidem non oblitus eram, sed sciens omisi. Omittere autem non debebam praeter alius in latinitate relicta eiusdem declinationis duo alia exempla: quorum prius est dius. Nec enim, cum plurali numero di et dis declinatum est, hi quidem casus potuerunt a

---

*) Nihil huc valere inferioris aevi exempla intellegis quale habes APOLLINARIVS I. R. N. 1667, postquam per multa saecula una APOLLINARIS forma probata est. — Vtor hac occasione ad supplenda ea quae de BARNAES forma supra dixi p. 12. Etenim BARNAEVS nominativi nescio quomodo Latina exempla me fugerunt I. R. N. 3674, 3722, 3756 et Grut. 991, 11: quo ipsa adeo BARNAES forma accedit e Grut. 632, 1 M · SVTORIVS · M · L · BARNAES. Quamquam per se nihil sane impediebat quominus in Lupii Somascanis genetivum interpretarere BARNAES, quando nominativus BARNA exstat I. R. N. 4865 et Grut. 900, 5 (vel Murat. 1569, 5). — P. 15 ne captiosa uti disputatione viderer, debebam illa omittere quae sunt MARIA · SELICI, CESVLA·ATILIA, POLA · LIVIA, GRAECA · VATRONIA, DERCINA · IVANALARIA: in his enim cur non SELICI, ATILI, LIVI, VATRONI, IVANALARI scriberetur, facile dixeris hanc ipsam caussam fuisse, ne de marito cogitaretur ut in CVRTIA · ROSCI. Sed vel sic tamen nihil de vi argumentationis nostrae detrahitur: cur enim non est MARI·SELICIA, VEBIDI · NVMA, PORTVNALI · MARTA · PIOTICA umquam scriptum vel in similibus similiter sine ambiguitatis specie ulla? — In Praenestina p. 12 adn. commemorata haud scio an L · OREIANO distinguendum sit potius. — Levidense est quod p. 3 prolatum ΓΑΛΛΑΤΙC nomen video rectius Latinis inserendum fuisse p. 6: levius etiam quod in Σ Σ C, itemque E Є formis recte discriminandis aliquotiens non satis mihi typothetarum filii paruerunt.

deus duci, sed e dius manarunt, vel ut nunc etiam rectius dicam, e dis nominativo dius formae eadem ratione vicario qua alius vel Clodius formas aequant alis et Clodis. Et dius quidem formam satis testatur dius fidius: quando prosodiae discrepantia, de qua Lachmannus admonuit in Lucr. p. 227, in tam vetustis nihil quicquam contra valet: dis autem nominativum etsi non profecto in eo quaeres quod est *hic dis huius ditis*, ac fortasse ne in dispiter quidem (tamquam *góttvater*), quod facile quispiam obiciat e *diespiter* contractum esse, tamen certum ille nisi fallor sui vestigium reliquit in diiouis. Magis etiam adpositum ad persuasionem huc adsciscimus meus mius pronomen, cum deus dius formis affinitate summa sociatum: quorum illud, quod est mius, non grammatici tantum testantur Charisius II p. 133 P. 159, 17 K. cum Diomede I p. 319 P. 331, 14 K., Priscianus XIII p. 962 P. 11, 13 H., Velius Longus p. 2236, 10, sed ante oculos ponit elogium Scipionis Hispani in quo est MIEIS MORIBVS scriptum, pronuntiatum autem *μονοσυλλάβως mis*. Neque enim vel a meus vel a mius, sed a compari huic mis nominativo flexi sunt mis genetivus et mi dativus primae personae, mi vocativus et mi nominativus pluralis (ut *mi homines mi spectatores* et *o mi oculi* apud Plautum, *o mi hospites* apud Petronium) possessivi pronominis: quae genera ratione etymologica non esse disparia patet. Habuitque in lingua tamquam recordatio quaedam pristinae consuetudinis hanc vim ut, cum pridem exolevisset mis et mim (is enim haud dubie accusativus fuit) et mi formarum usus, tamen monosyllaba pronuntiatio in eis quae successerunt meus mei meum mei duraret. Namque unde sat grave firmamentum totius ratiocinationis nostrae suppetit, illud est, quod e nominibus in eus exeuntibus omnibus duo sola sunt deus et meus, quae in scaenica poesi, nec tantum in liberioribus metris, sed in senariis quoque septenariisque, synizesim eu ei eo ea syllabarum admittant, nec aliquando admittant, sed frequentent, nec in quibusdam casibus, sed in omnibus praeter mea: neutrum autem plurale ne a mis quidem aliud nisi mia fieri potuit. Vnde non immerito conligere videmur a dis mis nominativis profectos vetustissimos *ἀναλόγως* declinasse per omnes et casus et numeros. Et de vocativo quidem mi, qui permansit, ipsam veritatem iam veteres magistri prope attigerunt, non illum a meus, sed a mius repetentes, Celsus atque Charisius (l. s. s.) a Priciano excitati l. s. s.

Quamquam et hic et Charisius p. 86 P. 111, 13 K. cum mi uni masculino tribuunt, abiudicant a feminino genere, fugerunt eos talia qualia e lingua vulgari, ut consentaneum est credere, Appuleius adscivit iam a Vossio de anal. IV, 8 composita *mi soror, mi coniunx* (nam de *mi sidus* novicia ei interpolatio fraudi fuit): quae ipsa novo documento sunt non a mius potius quam a mis facti vocativi.

Omnino autem vocativum non nisi imprudens omisi supra p. 17, ubi paullo plenius debebam rem omnem sic complecti, ut e vetere declinatione unum casum dicerem in sola scriptura haesisse, nominativum Corneli, duos autem non in scriptura tantum, sed in ipsa lingua perstitisse, qui sunt genetivus Corneli et Corneli vocativus: inter quos hoc tantum discriminis intercedit, quod genetivum postera saltem aetas Cornelii substituit reapse a Cornelius ductum, vocativum Cornelie longe sane prior, sed tamen inventa Cornelius forma posterior, coepit quidem adsciscere, perferre numquam potuit. Et Prisciani quidem VII p. 739 P. 301, 20 H. exempla *Virgilie Mercurie* facile apparet ab ipso ficta esse: sed quod p. 741 P. 305, 8 H. e Livio Andronico profert, filie, dubitatione vacat. Itaque qui non altius repetere caussas linguae animum induxissent, non est mirum sic statuisse ut et genetivum et vocativum fili vel Clodi contractum ex antiquioribus scilicet formis trisyllabis dicerent. Prorsus contra factum esse etiam aliunde conligitur. Quid est enim cur, quae in substantivis sedem certissimam habet, eadem et genetivi et vocativi declinatio monosyllaba non est item ad adiectiva translata? (in quorum numero pridem perspectum est etiam *Laertie* habendum esse, quod Priscianus p. 739 substantivum esse argutabatur.) Viam, nisi fallit opinio, illa monstrant quae supra componebam in arius vel aris desinentia. In his omnibus vidimus antiquiores, ut nunc res est, auctores haberet formas longiores, brevioribus adsuevisse recentiores. Ergo aut omnino vetus lingua caruit brevioribus, aut, quod nemo erit quin amplectatur libentius, in illis vocabulis iam desierant breviores ea aetate qua etiamtum vigebant in aliis. Quod ubi ad finitima h. e. ad adiectivorum genus omne transtuleris, haud scio an et originum et mutationum hanc animo imaginem informare liceat. Fuit aliquando aetas qua in is (vel es potius) exirent cum substantiva tum adiectiva omnia: Corneles files uolgares egreges. Subsecuta est altera aetas, qua progredi lingua ad ios ius

terminationem coepit, et ita quidem coepit ut initium ab adiectivis caperet quae vellet a substantivis discernere: quo evenit ut simul Cornelis filis uolgarios egregios dicerentur, sive servata littera finali sive dempta. Ex ea aetate originem traxerunt genetivi vocativique Corneli fili, genetivi uolgarii egregii, vocativi uolgarie egregie. Tertia hanc aetas excepit, qua ad adiectivorum exemplum etiam substantiva accommodarentur, Cornelius filius, genetivorum vocativorumque formae non mutarent. A qua licebit quartam distinguere, qua et vocativus fieri filie coepit, et eis quae in arius exeunt finitima vel procreata vel resuscitata sunt aris syllabis terminata ut uolgaris iocularis. Quodsi forte in illis, quibus arius finis, tale esset quod paene exuta adiectivi natura in substantivi notionem abiisset, facile intellegitur fieri potuisse ut ipsorum substantivorum vocativum participaret: in hanc igitur partem manuari interpretabimur a sermonis novatore Laberio positum teste Gellio XVI, 7, 3. — Superest ut de duabus rebus dicatur cum hac disputatione aliquo vinculo nexis: de praecepto Nigidiano quod ad modulationem h. e. accentum talium qualia sunt Valeri consili pertinet, deque Lucilii doctrina quae in *i* pingui vel tenui discriminando versatur. Verum haec argumenta cum et amplius sibi spatium poscant nec quicquam detrimenti nostrae ratiocinationi adlatura sint, nolo ad ea pertractanda nunc quidem exspatiari longius.

Ceterum cognita hac commentatione cum doctissimus conlega Ioannes Gildemeister quaedam similia eademque perutilia ex earum linguarum penu meminisset, a quarum aditu nos philologi esse interclusi solemus, facile ab eo impetravi ut singillatim perscripta in communem usum promeret. Sunt autem haec quae infra posui.

„Psanterîn für ψαλτήριον im Buch Daniel III, 5. 7. 10. 15. Da das Buch sicher um 165 a. C. geschrieben ist, so ist hiermit eine chronologische Bestimmung gegeben, die vermuthlich wenigstens höher hinaufführt, als die Inschriften, und aus Römischem Einfluss nicht erklärt werden kann. — Nachher findet sich die Endung ιον als *în* regelmässig in der Mischna, z. B. in dem bekannten Sanhedrîn für συνέ-

δριον. Beispiele gesammelt bei Gesenius Thesaurus p. 1116; ich füge wegen des oben p. 4 angeführten ΣΤΑΔΙΝ hinzu estadîn für στάδιον Baba kama 4, 4. Die Aufzeichnung der Mischna fällt aber erst Ende des zweiten Jahrhunderts nach Chr., daher diese Beispiele rücksichtlich des Alters nichts Neues beweisen. — Die schon von Gesenius angeführten Beispiele aus Champollion Gramm. ég. p. 138 ΑΠΛΩΝΙC für Ἀπολλώνιος sind von ihm nicht mit Zeitangabe versehen. — Die gleiche Erscheinung übrigens auch in den verwandten Sprachen, namentlich im Gothischen und Litthauischen, wo für die Wörter auf *ja* eigne Declinationsclassen aufgestellt zu werden pflegen. Gothisch Thema hairdja Hirt, Nominativ hairdeis (*ei* = *i*) statt hairdjas. sutis süss, für sutjas. Litthauisch lobis Reichthum, für lobjas. Im Zend ist ein Anfang im Accusativ, wo regelmässig aus *jam îm* werden muss. Dies bestätigt also auch die Berechtigung, mit den Formen höher hinaufzugehn. In der vergleichenden Grammatik hat man, so viel ich mich erinnere, die doch schon bekannten Griechischen Formen nicht berücksichtigt, vielleicht weil sie zu isolirt und zu spät zu sein schienen.“

Apud I. Guttentag bibliopolam Berolinensem eiusdem *Friderici Ritschelii* haec scripta vaeneunt:

Legis Rubriae pars superstes. Cum tab. lithogr. (1851)	1 Thlr.
De inscriptione columnae rostratae Duellianae commentatio I. Cum tab. lithogr. (1852)	22½ Sgr.
De inscriptione columnae rostratae Duellianae commentatio II. Cum tab. lithogr. (1861)	12 Sgr.
De titulo Mummiano nunc Vaticano. Cum tab. lithogr. (1852)	20 Sgr.
De titulo Aletrinate L. Betilieni Vari. (1852)	12 Sgr.
De sepulcro Furiorum Tusculano. Cum tab. lithogr. (1853)	12 Sgr.
De fictilibus litteratis Latinorum antiquissimis. Cum tab. lithogr. (1853)	25 Sgr.
Anthologiae Latinae corollarium epigraphicum. (1853)	10 Sgr.
In leges Viselliam, Antoniam, Corneliam observationes epigraphicae. Cum tab. lithogr. (1860)	18 Sgr.
De declinatione quadam Latina reconditiore quaestio epigraphica. (1861)	18 Sgr.

Ibidem propediem prostabit:

Frid. Ritschelii Prooemiorum Bonnensium (1854—1860) dodecas.

FORMIS C. GEORGI BONNENSIS

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 062 206 6